



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLIII. De Morte fratris Th. de Esbeth & trium fratum & plurium
Christianorum & infidelium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

PARS TERTIA

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Meneko de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

unquam temporibus suis Rex Lethoviæ cum Samechis poterat concordare, ut simul in bello procederent contra fratres.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Stanislaus Sarnitius Anstechiam fuisse dicit Curlandiaæ Provinciam maritimam lib. VI. Annal. Polon. f. 286. & 293. seq. Sed Matthias Strykovvski Ossostevicius eam collocat in Samogitia, ad Dubissa amnis ostia, ubi in Memelam se exonerat. lib. III. Hist. Lithuan. pag. 74. & ex eo Kojalovvicz part. I. Hist. Lithv. lib. 2. p. 31. seq.
- (b) ROME, legunt StriyKovvski & Kojalovvicz. Jeroschinus habet Romayn. Aliam verò hanc urbem fuisse à Romanova Prussia patet ex Dusburgii part. III. Cap. V.
- (c) Auctor Chron. antiqui Germ. Idiom. scripti in 4. addit non urbem tantum fuisse sacram, sed & ipsos incolas.
- (d) Vaykam & Pagraudam territoria Samogitiæ fuisse, scribit ex Strykovio, Kojalovvicz part. I. Hist. Lithv. lib. VI. p. 206.
- (e) Striykovskii habet à Narva usque ad Memelam. Auctor Chronicorum Germanici Antiqui in 4. prorsus hæc verba omisit, licet cætera ferè ad verbum hoc loco ex Dusburgio in Chronicon suum transulerit. Jeroschinus verò eodem modo legit ut Dusburgius noster: Von dem Bliesse Nerge bis an das Ländil Lamotin.

CAP. CCLIII.

*Morte fratris Th. de Esbeth & trium
fratrum & plurium Christianorum &
infidelium.*

Anno Domini MCCXCV. feria VI. ante diem Pentecostes V. fratres & centum quinquaginta viri de Sambia & Nattangia equitarunt versus Castrum Gartham, & dum appropinquarent, placuit eis, ut remissis equis Navigio Memelam descenderent, ubi in littore quâdam villâ Lethovvinorum, occisis

&

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Meneko de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

& captis pluribus hominibus, deprædatâ, iterum processerunt. Sed infideles hoc videntes, armatâ manu occurrerunt eis, & initio naval i belli Fr. Th. de (a) Esbek & quidam frater dictus de Veringe mortui ceciderunt. De Lethovvinis autem LXX. viri in armis strenui sunt occisi. Hoc facto fratres iterum processerunt usque circa castrum Junigedam, ubi dum naves propter defecatum aquarum stantes, in arena procedere non valerent, infideles supervenientes, fratrem (b) Hennemannum dictum (c) kint, & fratrem dictum List, & XXV. viros interfecerunt. Alii cooperante Domino evaserunt. Iste frater Theod. de Esbech mortem suam prædictit fratri Conrado Rufo, qui ei voluit dextrarium suum accommodare, dum recederet, dicens: sufficit mihi in equo meo, quia vivum me à modo non videbis.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Esbeth habet codex Regiomontanus. Strykovski legit modò Esbeth, modo Esbech. Codex vero Elbingensis & Jeroschinus habent Esbeck.
- (b) Strykovski habet Hevvenar. Elbingensis codex Herman.
- (c) Codex Elbingensis habet Knit.

CAPUT CCLIV.

De

*Perditione equorum fratrum de Raganita, & exustione præurbiorum dicti
Castri Scalovitarum.*

EOdem Anno Dominicâ ante Nativitatem Johannis Baptistæ, Lethovvini occultè & improvisè venientes ad Insulam, sub Castro Raganita litam, omnes equos fratrum & pecora receperunt;

Tt 3

runt;

